

PROPOSITIONES  
EX  
Jure Canonico & Civili  
DESUMPTÆ



P-18-0-1138

8°-1457



In Nomine Domini  
PROPOSITIONES

EX  
JURE CANONICO.

*Ad Quinq; Libros Decretalium  
Greg: IX. Pont: Max:*

I.

**D**ecretum Gratiani per se non ha-  
ber Authoritatem legalem quoad  
omnia.

II.

**F**ructus, quos Provisi de certis Be-  
neficiis ob omissionem intra duos menses  
culpabiliter professionem Fidei, resti-  
tuere tenentur; probabilius restituendi  
sunt ante omnem sententiam Judi-  
cis declaratoriam.

Aa

III.

III.

**L**EX Pontificia, ad hoc, ut obliget omnes per orbem fideles, sufficit, si promulgetur Romæ.

IV.

**A**CTUS à Jure irritatus simpliciter, est irritatus etiam pro foro interno.

V.

**R**ESCRIPTUM tam Justitiæ, quam gratiæ per dolum, sub, vel obreptitiè obtentum, est ipso Jure nullum, & vitatur, etiamsi suppressio veri, vel expressio falsi non fuerit causa finalis, modò tamen ad substantiam rei petitiæ pertineat.

VI.

**S**I postulatio concurrat cum postu-  
lati-

latione, sufficit conspiratio majoris partis Capituli, si verò cum electione postulandus, debet habere duas tertias, ut sortiatur effectum.

VII.

**P**rælaturis, Dignitatibus & Beneficiis Curatis præficiendi sunt digniores.

VIII.

**N**ullus Legatus etiam de latere adiri potest in prima instantia.

IX.

**R**estitutio in integrum ita fieri debet, ut læsus recipiat rem suam absq; ullo detrimento; lædens autem si bona fide egit, nihil perdat de suo, adeoq; ut neuter fiat ditior.

X.

**I**uramentum calumnie non potest  
qui-

quidem remitti expressè; bene tamen tacitè.

XI.

**I**uramentum promissorium obligat sub gravi, si materia sit gravis, & sub levi tantum, si materia sit levis, adeoq; hic datur parvitas materiæ.

XII.

**I**uramentum confirmat actum à Jure irritatum in favorem privatorum.

XIII.

**E**xceptiones peremptoriæ possunt quidem in secunda instantia opponi, nisi malitiosè & fraudulentè fuissent omissæ; non item dilatoriæ.

XIV.

**R**es judicata non habet locum in foro

foro interno conscientiae, adeoque per  
sententiam, quae transit in rem judi-  
catam, absolutus à debito tenetur sol-  
vere sub peccato, si postea certò co-  
gnoscat se debitorem fuisse, vel, si à-  
ctor fuit, Jus sibi non competiisse, non  
obstante, quòd bona fide litigaverit.

## XV.

**I**N Curatis obliigatio residendi non  
solum est Juris Ecclesiastici, sed eti-  
am Divini & Naturalis saltem in thesi.

## XVI

**C**Oadjutorem perpetuum, seu cum  
Jure successionis solus Papa: tempo-  
ralem verò Episcopis, & Prælatiis e-  
xemptis regulariter etiam solus Papa;  
Inferioribus autem non exemptis  
Episcopus, aut superior Ordinarius  
dare potest.

## XVII.

## XVII.

**A**lienatio rerum ecclesiasticarum immobilium & mobilium pretiosarum sine aliqua iusta causa & sine solemnitatibus debitis attentata, pro utroque foro est nulla, in quantum exigit favor Ecclesie.

## XVIII.

**Q**uamvis Prælati & Administratores Ecclesiarum res ecclesiasticas absque Juris solemnitate alienari prohibitas nequeant subijcere pignori, vel hypothecæ speciali, nihilominus possunt illas pro utilitate Ecclesie subijcere pignori, vel hypothecæ generali.

## XIX.

**S**uccessor in Prælatura, vel Beneficio Ecclesiastico tenetur solvere debita ab Antecessoribus facta in utilitatem Ecclesie, vel in necessariam eorum  
rum



rum, iisq; debitam sustentationem.

XX.

**P**Rælati non possunt exigere hæreditatem, aut legitimam sui religiosi ante Patrem mortui.

XXI.

**P**arochus obligatur Missam applicare pro Parochianis, omnibus diebus festis & Dominicis.

XXII.

**N**on est de essentia religionis, ut vota, quæ in illa emittuntur, sint solemnia.

XXIII.

**I**uris Patronatus capaces sunt omnes Christiani, etiam laici & femine, minores & pupilli, uti & filii familias: imo

Imo etiam excommunicati & irregulares.

XXIV.

**S**ponsalia posteriora non obligant, etiam dum priora fuere dissoluta percessionem, ingressum religionis, aut mortem sponsæ prioris.

XXV.

**M**atrimonium sub conditione impossibili, sive de futuro, sive de presenti initum regulariter valet statim, pariter ut absolutum & purum: adeoque vitiatum quidem conditio, non verò vitiatum Matrimonium.

XXVI.

**S**ponsalia secunda non valent, nec solvant priora prius inita cum alia persona, etiamsi secunda sponsa fuerit ignara priorum sponsalium, & quidem

non

non valent absolute ita, ut casu quo prior sponsa vel sponte cederet Jure suo, vel moreretur, aut religionem ingrederetur, non stringant.

## XXVII.

**Q**Uamvis absolute loquendo licitum sit Christianis in suas terras recipere judæos; ordinariè tamen id nec expedit, nec licet.

## XXVIII.

**I**Nfantes expositi, quorum parentes ignorantur, rectiùs habentur pro legitimis.

## XXIX.

**N**untiare novum opus, quod sit in præjudicium boni publici, regulariter potest quilibet de populo; si autem præjudicet alicujus bono privati, ille qui habet Jus in re, vel prætendit, cuiq; per novum opus præjudicatur: nunti-

ari verò potest illi omni, qui in alteri-  
us præjudicium molitur opus novum.

XXX.

**A**D essentiam Privilegii non requi-  
ritur justa causa, nec scriptura nec pro-  
mulgatio, sed insinuatio.



# PROPOSITIONES

Ex

JURE CIVILI.

I.

**H**Æreditas ubi defertur ab intestato, liberi omnes legitimi & naturales simul, ex justis nuptiis tales parentibus succedunt, sive sint sui juris, sive in potestate patria, sive emancipati, sive masculi, sive fœminæ, sive puberes, sive impuberes, sive nati, sive posthumi, sive primo, sive ulteriore gradu veniant. Et quidem omnes immediati succedunt in capita; mediati autem si sint ex eadem stirpe, succedunt in capita, si ex diversa, succedunt in stirpes.

II.

**L**iberi legitimi & naturales simul,  
per

per legitimationem tales, si sint legitimi per subsequens matrimonium, succedunt parentibus ab intestato. Legitimi per rescriptum Principis parentibus suis non succedunt, nisi aut legitimi sint nullis existentibus liberis legitimis, aut Princeps expressè in rescripto addiderit, quòd etiam in ordine ad effectum successionis ab intestato eos legitimare velit.

### III.

**L**iberi legitimi tantum, ut adoptivi, si sint adoptati ab ascendente, & patri naturali, & adoptivo indistinctè succedunt, si ab extraneo, patri naturali indistinctè succedunt, patri adoptanti non aliter, quàm si adoptio usque ad mortem adoptantis persistit.

### IV.

**L**iberi legitimi tantum, ut arrogati, si sint puberes, patri naturali succedunt

dunt; arrogatori autem non aliter,  
quàm si arrogatio ad mortem arroga-  
toris perstiterit, si sint impuberes, &  
patri naturali & arrogatori succedunt,  
esto mancipatio ante mortem arroga-  
toris arrogationem infregerit.

## V.

**L**iberi illegitimi, ut naturales ma-  
tri succedunt; patri non nisi in duo-  
bus casibus, & quidem duabus parti-  
bus. *Imus.* si sint gradu proximi. *2dus.*  
si legitima uxor, aut proles non adsint.  
Illegitimi, ut spurii, patri non succedunt,  
nisi matri, si sit plebeja. Illegitimi de-  
nique ut adulterini, incestuosi, nefarii  
sacrilegi neque patri, neque matri suc-  
cedunt.

## VI.

**P**arentes legitimi & naturales si-  
mul, siue sint tales ex justis nuptiis,  
siue per legitimationem, aut per subse-  
quens matrimonium, aut per rescri-  
ptum

ptum Principis factam, iis omnibus casibus, quibus liberi ipsis succedunt, & ipsi ad successionem liberorum vocantur, si liberi nullos descendentes gradu proximos post se relinquunt. Et quidem omnes immediati succedunt in capita, mediati verò si sint ex eadem linea, succedunt in capita, si ex diversa succedunt quasi in stirpes ita, ut unam partem capiant ex linea paterna, alteram dimidiam partem hereditatis ascendentes, ex linea materna habeant.

## VII.

**P**arentes legitimi tantum, seu adoptantes, seu arrogantes liberis adoptatis, vel arrogatis puberibus aliter non succedunt, quàm si adoptio, vel arrogatio usque ad mortem liberorum duraverit, si adoptantes sint extranei, si ascendentes, indistinctè liberis adoptatis succedunt, modò sint gradu proximi. Pater tamen arrogator liberis arrogatis impuberibus omnino non succedit.

## VIII



## VIII.

**L**iberis illegitimis, ut naturalibus mater succedit, nec non spuris, si sit plebeja. Adulterinis autem, incestuosis, nefariis, sacrilegis neque Pater, neque mater succedit.

## IX.

**F**ratres germani cum parentibus ad successionem fratris sui, & quidem in capita vocantur, cum quibus etiam liberi fratrum præmortuorum admittuntur, nec non etiam soli cum parentibus concurrentes ad successionem patris sui, eodem successionis jure gaudent.

## X.

**F**ratres germani in successione fratris germani omnibus collateralibus, etiam fratribus consanguineis & uterinis præferuntur, atq; si soli concurrant, succedunt in capita, si fratrum

B germa-

germanorum præmortuorum liberi cum  
iisdem concurrent, iidem succedunt  
in capita, portionem tamen illam, quam  
eorundem frater, si ad huc viveret,  
accepturus fuisset, tenentur ejus libe-  
ris dimittere.

XI.

**S**oli fratrum germanorum præmor-  
tuorum liberi defuncto patre succe-  
dunt in capita.

XII.

**Q**uod si neque fratres germani, ne-  
que eorum liberi adsint, præ reliquis  
cognatis agnatisve fratres consangu-  
inei & uterini ad successionem vocan-  
tur ita, ut fratres consanguinei in bo-  
nis patris a patre, uterini in bonis  
maternis succedant.

XIII.

**N**ullis existentibus vel descenden-  
tibus, vel ascendentibus, vel fratribus  
germa-

germanis, aut eorum filiis, si defunctus post se relinquat ex fratre nepotem, & ex fratribus consanguineis vel uterinis filios, tunc soli filii ad successionem vocantur, nepos verò fratris excluditur.

#### XIV.

**P**ost fratres consanguineos & uterinos admittuntur ad successionem ceteri collaterales, sive sint masculi, sive feminae, sive ex uno, sive ex utroque latere, ita tamen, ut proximiores semper eos excludant, qui sint remotiores.

#### XV.

**S**i verò neque descendentes, neque ascendentes, neque collaterales ad sint, ex æquitate conjux ad successionem vocatur, in cujus defectu Fiscus succedit.

#### XVI.

**Q**uamvis ex pacto nudo nascatur  
Ba obli-

obligatio naturalis, hæc tamen non  
est ita efficax, ut de jure positivo pariat  
actionem.

XVII.

**M**utuum dare potest, qui est do-  
minus, liberamque habet rerum sua-  
rum administrationem, ac speciali jure  
non prohibetur; accipere autem potest,  
qui habet potestatem se obligandi, ac  
etiam speciali jure non prohibetur.

XVIII.

**P**erfecto contractu mutui si æstima-  
tio monetæ crescat, vel decrescat, tan-  
ta reddenda est summa, quanta accepta  
fuit tempore contractus.

XIX.

**U**suræ lucratorię ex mutuo descen-  
dentes Jure Divino, naturali, ac per  
consequens humano sunt illicitę.

XX.

## XX.

**E**Veniente casu, qui nec prævisus fuit, nec prævideri potuit, si commodans re commodata egere incipiat, potest eandem ante tempus completum recipere, remque deterioratam ante refusionem deteriorationis recipere regulariter non tenetur.

## XXI.

**D**epositarius periculum rei in se suscipiens non tenetur ad casus fortuitos; neque censetur in mora esse, si ab hærede, aut procuratore interpellatus, prius quærat, quis sit hæres, aut mandatarius. Idemque ob impensas necessarias in rem depositam factas, tamdiu rem retinere potest, donec sibi nomine impensarum satisfactum fuerit.

## XXII.

**P**ossessio rei sequestratæ non transit  
in

In sequestrem ita, ut illud tempus, quo res apud sequestrem manet, uni ex litigantibus non proficiat ad complendam præscriptionem.

XXIII.

**F**idejussor, qui jurejurando se obligavit, non tamen ut principalem debitorem, non censetur renuntiâsse beneficio ordinis.

XXIV.

**E**xceptio ex causa mutui non numeratæ pecuniæ etiam post biennium opponi potest, ita, ut excipiens probare teneatur se pecuniam non accepisse.

XXV.

**D**eficiente cohærede jus accrescendi pertinet ad emptorem, cui portio vacans est restituenda.

XXVI.

## XXVI.

**P**erfecto contractu emptionis venditionis illico periculum rei venditæ transit ad emptorem, ita, ut interim pretium solvere teneatur, esto ante traditionem res aliquo casu perierit.

## XXVII.

**I**nfra dimidium justii pretii læso de jure positivo non datur actio, qua vel venditor retractare venditionem, aut supplementum exigere, vel emptor excessum pretii repetere valeat.

## XXVIII.

**I**us redimendi rem venditam lapsu triginta annorum extinguitur, esto expressè cautum sit, ut in perpetuum reverendere liceat.

## XXIX.

Locatio

**L**ocatio rei perpetua, vel temporaria, quæ complectitur longum tempus, non transit in emphyteusim.

**XXX.**

**S**i emphyteuta ob crimen aliquod bona & statum amisit, commoditas fructuum percipiendorum cum dominio utili redit vel ad dominum directum, vel ad alios in concessione comprehensos, si aliqui adsint; si tantum bona amisit, emphyteusis quoad dominium utile manet penes emphyteutam, commoditas verò fructuum percipiendorum transit ad fiscum, quamdiu condemnatus vivit, eo mortuo transit cum jure emphyteutico vel ad successores comprehensos in concessione, vel, si illos non ad sint, ad dominum directum.

**XXXI.**

**E**mphyteuta rem in emphyteusim concessam



cessam inconsulto domino vendere non potest, debetque primum denuntiare domino, & si is requisitus non statim se resolverit, quod rem emere nolit, tenetur integros duos menses expectare.

### XXXII.

**I**N societate absolutè universali divisio lucri & damni debet esse æqualis, licet collatio sit inæqualis; in universali autem secundum quid, aut particulari, si de partibus lucri aut damni nihil convenerit, ad collationem æqualem, divisio erit æqualis, ad inæqualem, divisio erit inæqualis; si in conventionem facta utraque pars tam lucri, quam damni expressa sit, statur conventioni, dummodo non sit iniqua; una tantum pars expressa porrigitur ad omiffam.

### XXXIII.

**Q**uando ex delicto principaliter agitur ad vindictam culpa lata non equipa-

æquiparatur dolo in ordine ad pœnam ordinariam, ob ipsã tamen culpam pœna alia pro mensura sceleris extra ordinem infligi potest.

### XXXIV.

**D**atur condictio furtiva adversus hæredes furis in solidum, esto nihil ad eos pervenerit.

### XXXV.

**Q**ui rem suam vi alteri eripuit, tenetur ad dominium ei reddendum.

### XXXVI.

**S**i quis defendendo se contra inustum aggressorem moderamen inculpatae tutelæ excesserit, pœnæ ordinariæ Legis Corneliæ non subjicitur, sed dictanda est eidem pœna arbitraria, pro majori, vel minori excessus gravitate dimetienda.

### XXXVII.

### XXXVII.

**P**endente lite si primùm dominium supervenerit, actor nihilominus possidentem rei vindicatione vincere potest.

### XXXVIII.

**A**ctio Publiciana ad rem bona fide ac justo titulo acceptam, & ante præscriptionis tempus omissam repetendam, non solum ei, qui firmitus jus habet, sed etiam ipsi domino competit.

### XXXIX.

**A**bsentiã necessaria partium & probabilis indistinctè actioni rescissoriæ locum facit.

### XXXX.

**M**anente eodem iudicio Actor Libellum mutare non potest.

### XXXXI.

XXXXI.

**O**Mnis actio civilis realis ex parte creditoris morte non finitur, sed datur ejusdem hæredibus.

XXXXII.

**N**ulla actio realis transit ad hæredes debitoris, sed morte ejus extinguitur, nisi etiam hæredes possideant.

XXXXIII.

**A**ctio civilis personalis ex contractu orta, neque morte creditoris, neque debitoris extinguitur, sed & hujus hæredibus, & adversus istius hæredes datur in solidum, esto nihil ad eos pervenerit.

XXXXIV.

**A**ctio criminalis morte tam actoris  
ris

ris, quàm rei exspirat: excepto cri-  
mine perduellionis & repetundarum.

XXXV.

**E**Xceptiones per statutum in totum  
tollì non possunt.

Ad Majorem DEI Gloriam.



Defendentur publicè in Collegio Studii  
Universitatis Zamoscensis, Disputantibus in  
contrarium Religiosis PP. Sacrae Theolo-  
giae Doctoribus, & Studii Regentibus Mi-  
norum Conventualium, ac P.P. Sacrae The-  
ologiae Lectoribus, Reformatis, Ordinis S.  
FRANCISCI, Conventuum Zamoscensium.  
Ad objecta respondentibus V. MATTHÆO  
KOSIARSKI AA. LL. & Philosophiae  
Baccalaureo, & Generoso VALENTINO  
SZCZESKI Sacrae Theologiae & Juris  
Utriusq; Auditoribus. Annò Domini 1779.  
Die 21. Mensis Julii,

KSIĘGOZBIÓR  
MARCINA ZAMOYSKIEGO

4758

-KZ

4770-KZ



